quod gratiarum actionem, quæ in Cœna usu se-
mel fit, seu generatim, ad tuam singularem ex-
hibitivam pronunciationem trahis. Nolo
autem nunc pluribus. Te, mi Treubotte,
ego per pacem Christi Ecclesiæ rogo et hor-
tor, temperes hic tibi, et si quid pulchrum re-
peristi, tibi habeas, aliis non obtrudere labores,
pro nobis potius ores, in quo deficere nos putas.
In multis deficimus omnes. Si tamen publicè
quid moveris, quid audies, nisi scarabeum aquilam
quærere! Saniora autem de te mihi polliceor, o-
ptoque te plurimum valere in Domino. Hei-
delbergæ a.d. 4 Non. Aug. 1606.

68. Ad Reverendum et Clarissimum Virum D.
Davidem Pareum, S.S. Theologiæ
Doct. et Profess.

Clarissime, doctissime ac præstantissime vir:
Esse non dubito, rumores longè lateque sparsos de
injuria mihi ac nostris omnibus à Ministro Lu-
therano in administratione S. Baptismi publicè
nuper in templo illatâ. Cui de re tota, quemadmo-
dum gesta est, ad te scribam, ut mihi in longè ma-
ximis versanti difficultatibus, nec mihi soli, sed
toti nostræ Ecclesiæ salutari tuo et prudenti con-
silio pro singulari tua in me et Ecclesiam Dei
affectu et benevolentia opem, quantum potes, af-
feras. Accidit a.d. 14. superioris proximi Mensis
Januarij, ut rogatus à vitrico meo, ut filiolum
suum ex baptismate susciperem, petitioni ejus fa-
cile

cile annuerim. Nec suspicari potui futurum, ut
id male interpretarentur Adversarii cum non solum
infantes meos, ut etiam alium hujus Ecclesiae mi-
nistri ante me sedentem alius cognati mei filium
ipsi ante sesquiennium obtulissem baptizandum,
et numquam id ipsis, aut aliis displicere intellexissem.
Quid fit autem? Postquam bonus ille Pastor in nos
strenuè esset debacchatus, quod tamen non audivi,
et finitâ concione formulam Baptismi praelegisset,
Deumque orasset, et me puerulum tum offerente prout
hic moris est, quaerit, an crederem in Deum, patrem
omnipotentem! &c: ubi ad singula respondi summâ cum
reverentiâ, me credere; ibi ille linguâ vernaculâ:
Annon tu concionatores, qui extra urbem conci-
onaris! Animadverti mihi, porro dicit: diss Kind wird
ja nicht taufen auf fremden glauben, sondern
auf dieser glauben. Glaubt ihr, ist es wol gut,
aber ihr glaubet nicht, seyd ihr ein falscher lehrer:
Cum autem haec mihi in os nihil tale expectanti dice-
rentur, et facilè me potuissent, praesertim in ta-
li loco, ubi multa regerere non licebat, perturbare:
animadverti tamen quamprimum, quorsum spe-
ctarent. Quamobrem cum ille infantem, simul
ac mihi dixisset, arripere vellet ac baptizare, ego
paululum retrocessi, et infantem dare tum gestu
tum verbis modestè renui: Herr, inquiebam, ihr sollt
das Kind nicht tauffen auf fremden glauben, sondern
auf den glauben, den ihr mir fürgelesen habt.
Cumque ille taceret, repetitâ eadem meâ declaratione
verbis paulum immutatis dicebam illi: ich wird diss
Kind auf fremden glauben nicht getaufft haben,
Tandem puerulum ei baptizandum tradidi. Eo tincto,

et restituto obstetrici, sic eum clare sum allocutus, ut
multi intelligerent: Herr ich nehme diese gantze Kirch
zu Zeugen, dass Ihr mich einen falschen Lehrer habt
gescholten, und dass ich nun sage, dass ich kein falscher,
sondern ein rechter Lehrer bin. Ille ad haec:
Ihr seid ein falscher Lehrer, und ein Wolff.
Quae verba iterata tam multis audientibus cum
me nonnihil pungerent, iterum respondi: Herr, ich halte
den für falschen, der mich also schilt. Atque me re-
cedente (metuebam enim hominum concursum) reges-
sit, ita ut vix intelligerem, glaub ist noch nicht bewie-
sen. Habes paucis, Vir clarissime, rem totam, quem-
admodum gesta est: quam ubi nostri intellexerunt,
quemadmodum perturbati sunt, et tam indignum
judicarunt facinus, ut de eo querendum apud Se-
natum, simulque per commodam occasionem obla-
tam non solum petendi Baptismi administrati-
onem per nostros ministros, sed etiam Matri-
moniorum benedictionem, aliaque sibi necessaria
arbitrarentur. Libellus supplex itaque nomine
tam Galliae, cujus alter Minister eodem tempore,
quo mihi, quae narravi, acciderunt, praesens erat,
quam Belgicae offertur, quo omnia ista rationibus
allatis debitâ cum reverentiâ et humilitate à
Magistratu petuntur. Responsum fuit, Senatum
non delectari iis, quae acciderunt: curaturum praeter-
ea, ne quid tale deinceps accidat, fore tamen e-
consultum, ut vitentur omnes turbarum occasio-
nes, ut nostri ministri non per se, sed per alios
infantes aliorum offerant. De reliquis petitionibus

nos eo, quod concessum erat Religionis nostrae exercitio
contentos esse debere. Hoc responso accepto, et com-
municato cum Ecclesiis, se in eo non posse acquiescere.
Tantum enim abesse, ut aliquid nobis eo sit concessum,
ut potius ademptum fuerit, cum Ministri nostri quo-
dammodo à Baptismate arcerentur, et non tantùm
ipsi, etsi non deliquissent, plecterentur: verùm etiam
in ipsorum personis toti Ecclesiae et professioni ipsius
labes inureretur. Quare unanimiter secundum sta-
tuunt esse exhibendum supplicem libellum, rogandumque
Amplissimum Senatum, ut petitioni priori concedat
saltem quantum ad Baptismi attineret per Ministros
nostros administrationem. Quodsi ne id quidem obti-
neri posset, admitteret minimum nostram declara-
tionem, Ministrisque suis, ne deinceps nobis aut Mi-
nistris nostris molesti essent, injungerent. Declara-
tionis autem sunt ipsissima verba: Nemblich wann wir
nicht begehren, in ansehung unserer Kindern, so wir ih-
nen, den Predigern, zu täuffen offeriren wer-
den, wir etwas thun, so in praejudicium unserer
christlichen Religion und lehr streiten solte, daß
unsere Kinder auf keines menschen glauben,
wer derselbe auch seyn möchte, sondern simpli-
citer und allein auf den allgemeinen unge-
zweifelten christlichen glauben, der uns imme-
diate für der tauff fürgelesen, und wie
er in den Schrifften der heiligen Propheten,
Evangelisten, Aposteln, und denen Symbolis oder
Auslegungen, Niceno, Athanasii, Ephesino et Chal-
cedonensi, erklärt wird, getaufft werden sollen.
Quid ad haec Senatus? Nimirum, stare se priori decre-
to, infantes nostros baptizatum iri, ut antehac: et Mi-

nistris nostris non fore licitum, ut aliter, quam per alios, si accidat, ut aliquis eos infantes sui peculiares testes adhibere voluerit, baptizandos offerant. Deniq; nolle, ut amplius libellis nostris ei molesti simus. Super hoc secundo Senatus responso variant sententiæ. Alii enim judicant, in eo nos omnes posse acquiescere: cum res in integrum restitutas esse dicant illis verbis nimirum: quemadmodum antehac, et consul à nostris interrogatus dixerit, infantes nostros baptizari in fidem catholicam. Alii contra sentiunt. Dicunt enim, verba Senatus esse ambigua. Non tolli iis antithesin factam à Ministro Lutherano: Nicht auf ihren, sondern auf diesen glauben. Videri Senatum probare declarationem Ministri sui, non nostram, præsertim cum ministris adimat eam, quam habuerunt, libertatem: et obstruat viam legitimam petendi ea a se, quæ ad parandas conscientias nobis necessaria esse secundo libello supplici judicavimus, et indicavimus. Etsi autem ista nos omnes impeditos habeant: tamen nemo me magis premitur et angitur. Uxor enim mea vicina est partui. Si eam alio mittam; metuunt omnes, ne quamprimum Senatus mihi jus Civitatis adimat, et sic Ecclesia Belgica dissipetur. Si hic maneat, infans Lutheranis erit offerendus, etsi me seductorem esse palam, et in os mihi dixerit, fidemq; nostram exclusurit Ministerille, sic in me triumphabunt de veritate, quod per conscientiam non possum committere. Quæ cum ita sint, et quo me vertam, non inveniam, te etiam atq; etiam obnixè rogo atq; oro,

Vir clarissime, ac doctissime, ut pro benevolentia er-
ga me tua, quâ fretus ad te confugio, mihi quid eli-
gendum sit, quidq; aliis membris Ecclesiæ nostræ me
quotidie super hac re consulentibus, respondere de-
beam, quàm primum fieri poterit, rescribere digneris.
Facies mihi, ac multis suis rem longè gratissimam,
meq; tibi jam multis nominibus obstrictum, arctis-
simè devinxeris. Bene ac feliciter Vale cum tuis.
Francofurto a. d. 23. Febr: Anno 1606.

Rev.tiæ ac Dignitatis Tuæ
Addictissimus
Isaacus Genius.

Isaaco Genio. 69.

Inaudieram aliquid, Reverende frater, de vestra
συζήτησει ex N. et gratum fecisti, quod rem totam ipse
nobis communicasti. Sed ferrea jampridem corda ge-
runt, qui a citius omnia summis in Ecclesiâ sunt permi-
sturi, seq; cum suis in Romanæ abyssi puteum rur-
sus præcipitaturi, quàm ut livori suo modum statu-
ant, eumq; quâvis occasione datâ in nos effudient:
quæ quidem consideratio vel sola vobis consilium,
in præsens dictabit, ut ad patientiam vos com-
ponabis, aut sedem isthic haud diu vobis promit-
tatis. Non autem dubito ex composito et sociorum
consensu fecisse unum, quicquid in re proterve
est factum. Tuam verò Apologiam temperatam,
nec immoderatam fuisse judico. Neq; enim tutum
erat silere ad tam atroces injurias. Senatus
porrò, etsi non faciat satis petitioni vestræ de
integro ministerio vobis concedendo, non tamen